

Dissertatio medica inauguralis, de peripneumonia vera : quam annuente summo numine : ex auctoritate reverendi admodum viri, D. Gulielmi Robertson, S.S.T.P. Academiae Edinburgenae Praefecti : nec non amplissimi senatus academici consensu, et nobilissimae facultatis medicae decreto : pro gradu doctoratus, summisque in medicina honoribus et privilegiis rite et legitime consequendis / eruditorum examini subjicit Jacobus Moseley, Anglo-Britannus.

Contributors

Moseley, James, -1792.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Edinburgh, 1780.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/zwfu7mtm>

Provider

University of Glasgow

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





DISSERTATIO MEDICA,
INAUGURALIS,

DE

PERIPNEUMONIA VERA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JACOBUS MOSELEY,
ANGLO-BRITANNUS.

Ad diem 24. Junii, hora loquoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXX.

C

DISSERTATIO MEDICA
IN AUGURALS

DE

PERIPNEUMONIA VERA

QUAM

AVGVSTVS VVMMO NVMINI

MDCCCXXXIII

D. GVLIELMO BERTHON, S. S. P.

ACADEMIAE MEDICAE BAVARICAE

PRaesentibus

AVGVSTVS VVMMO NVMINI

PRO GRADU DOCTORATUS

IN MEDICINA BAVARICA

AVGVSTVS VVMMO NVMINI

AVGVSTVS VVMMO NVMINI

JACOBVS MOSELER

Anglo-Britannicus

MDCCCXXXIII

AVGVSTVS VVMMO NVMINI

AVGVSTVS VVMMO NVMINI

AVGVSTVS VVMMO NVMINI

G U L I E L M O T O L D E R V Y,

A R M I G E R O,

Viro, ob maximam morum comitatem,

Nulli secundo,

Ac

Optimis denique virtutibus

Ornato,

Hanc dissertatiunculam,

Primum suum in re medica conatum

Exiguam haud exigui affectus,

Testimonium,

D. D. C. e.

J A C O B U S M O S E L E Y.

GUILIELMO TOLDERY.

ARMIGERO.

Viro, ob maximam morum constantiam,

Nulli secundo,

Ac

Optimis denique virtutibus

Ornato,

Hanc dissertationem,

Primum tuam in re medica constantem

Et quum paulo exigui affectus,

Tellinorum,

D. D. C. 6.

JACOBUS MOSELEY.

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

PERIPNEUMONIA VERA.

PROOEMIUM.

CUM instituta Academiae Edinensis jure celeberrimae neminem, qui non prius aliquod ingenii progressusque, quem in arte Apollinea fecit, specimen edidit, ad summos medicinae honores evehi patiantur, aliquid, qualecunque fuerit, nolentes volentes, ingeniosi hebetesve, conscribamus oportet. Pulmones autem, summam omnium, qui medicinae student, attentionem haud dubie merentur. Muneribus enim summi momenti funguntur, et sanitas eorum ad

A

vale-

valetudinem commodam fervandam omnino necessaria. Debiles, contra, aliterve male affecti, morbis gravissimis fundamenta jaciunt, ad quorum naturam investigandam animos suos quam maxime adungere, omnium medicorum est, qui generis humani salutis rite consulere cupiunt. His igitur et similibus inducti, Peripneumoniam exequi nobiscum decrevimus. Id vero, cujus discipulos suos medicus celeberrimus consuevit monere, memoria nostra minime excidit.

‘ O quantum difficile est curare morbos pulmonum! O quanto difficilius eosdem cognoscere, et de iis certum dare praesagium! Fallunt vel peritissimos ac ipsos medicinae principes.’

Cum igitur morbi hujusmodi tanta obscuritate involvantur, ut summum scriptoribus, etiam ingeniosissimis, negotium facefferint, opusculum aggredimur, viribus admodum diffisi. Non enim nobis adeo placemus, ut nosmet multis aliis etiam pares fore, nedum plus praestituros esse, audeamus sperare. In tanta vero scriptorum, ut verba Liviana adhibeamus, turba, si nostra fama in obscuro sit, nobilitate ac magnitudine eorum, qui nostro nomini officient, nos consolemur.

Pauca autem, prius de inflammationis in gene-

re natura et finibus, quam peripneumoniam veram exequamur, dicenda putamus.

C A P. I.

D E P H L E G M A S I A.

Cum pars corporis extremi aliqua rubore infolito, calore, dolore, tumore afficitur, ea inflammatione vel phlegmasia laborare dicitur.

S E C T. I.

De Inflammationis Historia.

Cum signa modo posita in corpore humano se ostendunt, inflammationem subesse novimus, quae aequae partes internas ac externas occupare potest, et, pro partibus, quas invadit, et specie, quam praese fert, nomina sibi diversa adipiscitur. Si cutem, ex. gr. teneat, erysipelas, si cerebrum, phrenitis, si oculum, ophthalmia, si pulmones, peripneumonia, si vesicam, cystitis, appellatur.

Inflammatiō externa a calore, rubore, tumore, partisque saepe laborantis pulsatione, incipere solet; et, si signa sunt gravia, pyrexia in systema universum invadit, sanguisque detractus speciem a naturali et communi diversam prae se fert, crusta coriacea obductus. Cum haec in omnibus phlegmasiae manifestae casibus se ostendat, in exemplis etiam ambiguis ex hac aliis signis adjuncta inflammationem substare concludimus. Multa vero cum, sanguinem inter mittendum, lympham coagulabilem a reliquis sanguinis, qui alioquin ad separationem satis proclivis, partibus disjungi possint impedire, e crusta absente non semper cogere licet inflammationem non subesse.

Inflammationem partem internam occupasse judicamus, si, praeter pyrexiam, dolor in ea sedet, et functiones ejus non amplius, uti debent, peraguntur.

S E C T. II.

De Causa Proxima.

Super hac physiologi acerrime certarunt, et adhuc sub iudice lis est. Varias autem eorum
opinionēs

opinionēs hac in differtatiuncula proferre et excutere non nostrum ducimus; hoc enim plus temporis, quam iis impendere operae foret, postularēt, nosque ab incepto longius traheret. Igitur obstructionem, errorem loci, sanguinem praeter naturam viscidum, multaque alia aequae incerta et relatu nimis longa, silentio ex toto praeteriunda putamus. Causae illius tantum, quae signa inflammationis propria optime exponere, igiturque verissima esse videatur, mentionem injiciemus. Haec autem est spasmus vasis extremis illatus, actionem adauctam in reliquis earundem partibus continuam efficiens.

S E C T. — III.

De Causis Remotis.

Has ad capita quatuor retulit Cullenus illustrissimus, et sub his quidem omnes aliae comprehendendi videntur.

1. Stimulantia corpori admota, quibus accensenda ignis actio vel exustio.

2. Violentia externa vulnerando, contundendo, partesve nimis tentendo, mechanice agens.

3. Extranea in qualibet corporis parte inhaerentia, quamvis nec dotibus acria, nec forma acuminata.

4. Certus frigoris gradus, gangraenam protinus movere non valens.

Hae autem causae remotae, ut facile videre est, separatae vel conjunctae, ad causam proximam faciendam ex toto accommodantur.

S E C T. IV.

De Finibus.

Inflammatiō variis modis finiri consuevit :

1. *Resolutione.*—Hac finiri dicitur inflammatiō, si, statu et textura partis laborantis integris manentibus, tollatur. Hoc autem incidit, cum congestio spasmusque antecedentia modica fuerunt, et impetus sanguinis auctus spasmum superare, vasa dilatare, congestionemque, adeo ut pars ad sanitatem solitam reducatur, tollere valuit. Quinetiam resolutio fit, cum impetus humorum ad auctus in causa est, cur humor vulgo exhalans in telam cellulofam vicinam copiosius solito effundatur, vel excretio in aliqua parte vicina au-
geatur,

geatur, et ita congestionem in vasis levat, spasmusque partis affectae relaxat. Resolutio denique incidit, cum impetus sanguinis in universo systemate adauctus facit, ut tantum sanguinis, quamvis e parte distante, profundatur, quantum ad diathesin totius systematis phlogisticam tollendam, et igitur ad congestionem spasmusque partis affectae singularis levanda, sufficit. Hoc in exemplo, sanguis e vasis haemorrhoidalibus, uterinis, vel membranae Schneiderianae propriis, solet prorumpere.

2. *Suppuratione.*—Haec incidit, cum impetus sanguinis adauctus in parte laborante vascula exhalantia adeo dilatata, ut serum effundant integrum. Namque lympham, quam continet, coagulabilis non aequae facile, ac partes ejus tenuiores, absorbetur; sed in albidum, opacum, modice viscidum, mitem liquorem, quem pus appellamus, mutatur. Hoc facto, imminuuntur rubor, calor, dolor.

3. *Gangraena.*—Cum materia in telam partis inflammatae cellulosa effusa fermento putrido vitatur, hoc ut mutationem ad putredinem absolutam magis minusve accedentem subeat facit. Si putredo modica et humores effusos substantiamque telae cellulosa tantum afficit, pars gangraena;

graena ; si vero quoque vascula musculosque partium, sphacelo laborare dicitur. Gangraenam autem movere videntur fermentum putridum in materiam saepissime effusam agens, natura materiae effusae ad putredinem proclivis, excitatio inflammationis violenta tonum vimque vasis ex toto labefactans.

4. *Schirrho.*—Hic finibus inflammationis vix annumerandus, utpote qui glandulis solis fere proprius sit, et inflammationem saepius antecedit, quam subsequatur.

Inflammatiō quoque aliter finitur. Aliquantum massae sanguinis integrae nonnunquam vel per rupturam, vel anastomofin, in telam cellulofam vicinam effunditur, quod, potissimum in inflammationibus pulmonum, vasa comprimendo, circuitumque sanguinis impediendo, aegrotum suffocat. Quinetiam, in quibusdam inflammationibus cutaneis, subter cuticulam effunditur humor adeo crassus, ut per spiracula ejus nequeat transire ; qui igitur eam a cute vera separat, et sub forma vesiculae humorem effusum continentis elevat. Denique, in superficie partium internarum inflammatione laborantium aliquid fere semper exudatur, quod partim sub forma concretionis viscidae in superficie viscerum inflammatorum,

rum, partim sub forma humoris tenuis serosi, in cava ubi fita, effusi, sese ostendit.

C A P. II.

DE PERIPNEUMONIA VERA.

Cum morbus, de quo acturi sumus, in pulmonibus sedeat, structuram eorum depingere necessarium duximus.

S E C T. I.

De Structura Pulmonum.

Pulmones sunt duo viscera ampla, spongiosa, in pueris colore rubra, in adultis cinerea, in senibus caerulea, totum thoracis cavum replentia, quorum unum partem hujus dextram, alterum sinistram tenent, per mediastinum et cor inter sese divisa, costas versus convexa, diaphragma versus concava, mediastinum corque versus pa-

rum regulariter depresso. In tres lobos divisi sunt pulmones dextri, in duos sinistri. Pulmones autem componunt bronchia, vesiculae aërierae, tela cellulosa his ubique interposita, vasa sanguifera, nervi, vasa glandulaeque lymphaticae, membranae. Aspera autem arteria, per quam omnis spiritus ad pulmones adducitur, se in duos tubos sub tertiam dorsi vertebram, quorum unus ad pulmones dextros, alter ad sinistros tendit, deinde in alios innumeros dividit. Hi, qui bronchia, quamdiu aliquid indolis cartilaginosa retinent, appellantur, cartilagine, quibus instructi, haud dubie ut compressioni melius occurratur, gradatim deponunt, et substantiam pulmonum ingressi ex toto membranacei fiunt, tandemque in vesiculas aërieras desinunt, quae cum substantia cellulosa iis interposita partem pulmonum longe maximam constituunt. Hae, saltem ejusdem lobi propriae, inter sese communicant. Lobi pulmonum in lobulos rursus divisi, quorum forma ex toto abnormis. Vasa sanguifera, quae ad pulmones veniunt, duplicia sunt, pulmonea et bronchialia.

Arteria autem pulmonea e dextro cordis ventriculo proficiscitur, et recta sursum ad arcum aortae usque ascendens duos in ramos discerpitur,

tur, quorum unus dextrorsum, alter sinistrorsum tendit. Cum primum substantiam pulmonum ingrediuntur, in ramulos innumeros dividuntur, qui in pulmones universos sese diffundunt. Quae venae sanguinem a pulmonibus reducunt, eae sunt pulmoneae, quae tandem in quatuor magnos truncos collectae per aperturam communem in auriculam cordis sinistram ingrediuntur.

Arteriae bronchiales, quae ad pulmones nutriendos forsan destinantur, quantum ad originem attinet, nonnunquam variant. Caeterum sinistra plerumque ab aorta, dextra ab intercostali ejusdem lateris suprema oritur. Sanguis per venas cognomines ad venam sine pari saepissime redit.

Nervi pulmonei a pare octavo et intercostalibus, et filamenta nonnulla a plexibus cardiaco stomachicoque veniunt. Vasa glandulaeque lymphaticae plurimae in pulmonibus reperiuntur. Tunicae vel membranae duae pulmonibus sunt, quarum exterior a pleura oritur, hujusve potius continuatio est. Interior cellulosa est, omnibus lobulis interposita.

Respiratione, quae summi momenti functio est, haud dubie inserviunt pulmones. Alia, physiologorum judicio, praestant; qualia vero haec sint, nondum

nondum pro certo novimus. An ad sanguinem rite conficiendum conferunt? An densiorem reddunt? An partes ejus oleofas cum aquosis commiscent? An aliquid ei nitrosum, dum per pulmones tranfit, impertiuntur? Caeterum hoc minime dubium, eos aliquid e corpore humano inutile et nocivum expellere, et aliquid, contra, utile et necessarium in idem invehere.

S E C T. II.

De Morbo finiendo.

Hunc morbum adeo clare, ut ab aliis pulmonum morbis facile dignoscatur, finire in primis difficile. Peripneumoniam sub classe pyrexiarum, et ordine phlegmasiarum, Cullenus nosologus ille accuratissimus collocavit, eamque perspicuitate, quae in universis ejus definitionibus reperiunda, mirabili, sequentem in modum finivit:

‘ Pneumonia (peripneumonia) pulsu non semper duro, aliquando molli; dolore thoracis obtuso; respiratione perpetuo difficili, saepe non nisi trunco corporis erecto exercenda; faciei tumidae

‘ tumidae colore purpureo ; tussi plerumque hu-
 ‘ mida, saepe cruenta.’

S E C T. III.

De Morbi Historia.

Signa praecipua, quae hoc in morbo se ostendere solent, enumeranda curabo. Peripneumoniam a frigoris sensu magnoque horrore, quibus calor auctus succedit, incipere quasi una voce testantur auctores. Adfunt quoque languor, lassitudo, anxietas, vires admodum convulsae et infractae. Pulsus arteriarum citati, pleni, molles plerumque. Tussis saepius humida et cruenta, nonnunquam sicca, aegrotum exercet. Facies, oculi, fauces, lingua et labia praeter consuetudinem rubescunt. Spiritus fit difficilis et frequens. Dolor degravans et obtusus saepius, quam pungens et acutus, sub sterno vel inter scapulas sentiri consuevit. Sensum gravitatis et distensionis habent praecordia, dolore quodam tendente affecta.

Si functiones mentis magnopere turbentur, et
 aliena

aliena loquatur aegrotus; si ictus arteriarum parvi, debiles, tremuli, et ex toto inaequales evadant; si spiritus cum sibilo trahatur; si sputum supprimatur; si extrema frigescant; si sudores erumpant frigidi, loco proprii et non totum in corpus ex aequo diffusi; si anxietas summa oritur, et huic stupor deliriumque brevi superveniunt, aegrotum in summo periculo versari, et ad extrema jam ventum esse concludere licet.

Haec omnia signa autem ad peripneumoniam constituendam haudquaquam necessaria. Pauca enim eorum tantum, quae pathognomonica dicuntur, eodem tempore accedere consueverunt. Quae vero pathognomonica sunt, ea in definitione supra posita referuntur. Reliqua absentia vel praesentia naturam morbi non mutant, et fortuita, si stricte loquaris, appellari possunt.

S E C T. IV.

De Morbo ab aliis secernendo.

Cum de peripneumonia vera sola agamus, opus est ut eam a reliquis ejus speciebus, et nonnullis

nullis aliis morbis, inter quos et eam similitudo intercedere potest, rite fecernamus.

Sauvagesius illustris, in Nosologia sua methodica, varia huic morbo, pro causis unde proficisci videtur diversis, nomina indit. Quas ejus species enumerat, eae numerosae. Caeterum varietates hujusmodi medico nulli commodo sunt, et nihil aliud quam medicinae operam navare incipientem perturbant.

Medici non pauci peripneumoniam in inflammatoriam, notham, et malignam diviserunt. Notae vero, quae veram potissimum a spuria distinguunt, saepe admodum obscurae, et altera saepe alteram adeo reddit, ut a se invicem vix possint dignosci. Quicumque vero animum ad eas rite considerandas attentus admovebit, is notas, quibus inter se differant, non semper deesse, et igitur interdum posse fecerni, comperiet.

Vera autem et spuria per speciem materiae, quae pulmones infarcit, possunt distingui. In illa sanguinea est, in hac pituitosa. Verae magis obji-
ciuntur pleni, vinosi, otiosi, nimiam thoracis angustiam fibrasque tensas habentes. Quinetiam, tempore hyberno, et in regionibus frigidis, potissimum grassari consuevit. ‘Hyems autem,’ inquit Celsus,
‘capitis

‘ capitis dolores, tuffim et quicquid in faucibus,
 ‘ in visceribus mali contrahitur, irritat :’ ‘ Aequi-
 ‘ lo, idem auctor poſtea memoriae tradit, tuffim
 ‘ movet, item dolores lateris et pectoris exci-
 ‘ tat.’

Notha a fero et pituita pulmones infarcientibus proficiſcitur, et ſenes, phlegmaticos, laxos, debiles, et cachecticos invadit. Coelo humido, nebuloso, pluvioſo, et locis in palludofis, ſe ſaepius oſtendit. Modus quoque, quo morbus uterque accedit, unum ab altero fatiſ fecernit. Signa verae, ſub initium, quam ſpuriae, minus obſcura. Febris illius propria ſynocham, hujus typhum magis refert. Vera a ſenſu frigoris incipit, quem excipiunt calor auctus, ſpiritus difficilis et calidus; pulſus arteriarum celeres, pleniores, molles, facies tumidior, plenior, rubrior, dolor potius obtuſus et degravans, quam acutus et pungens; urina rubrior et turbida. Sanguis detractus cruſta coriacea obducitur. Notha, contra, tardius accedit, et ſigna ſub initium adeo levia ſunt, ut vix morbum appropinquare noviſſe poſſis. Frigus et calor alterna ſe tandem oſtendunt. Pulſus arteriarum modo celeres, debiles, exiles, modo lenti et oppreſſi. Febris ſaepe vix notabilis. Hebetudo inſolita ſubeſt, aegrotus ad motum omnigenum

nigenum piger, anxietatem, dolorem capitis, et vertiginem queritur. Urina pallidior, et sanguis, quanquam primam in vicem nonnihil lymphae coagulabilis a reliqua massae separatae, summoque crassamento incumbentis detractus, ostendit, postea laxus et serosus, nonnunquam tenuis et floridus, saepe colore subobscuro-lividus evadit. Detractionem sanguinis, licet spiritus difficilis pectusque oppressum eam videantur requirere, nisi sub initium morbi, nullo modo ferre possunt aegroti.

Haec forsitan, si animus ad ea rite attendatur, ad morbos a se invicem secernendos sufficient.

Quantum ad peripneumoniam malignam attinet, ea nihil aliud quam peripneumonia idiopathica cum febre putrida conjuncta. Signa igitur febris putridae propria hanc speciem a vera satis aperte distinguunt. Silentio autem non praeterendum, hanc speciem, utpote quae ex inflammatione et putredine conjunctis constet, imprimis esse periculosam, et aegrotos paucissimos ex ea emergere solere.

Quantum pleuritidem spectat, medici non pauci peripneumoniam ab hac non posse secerni contendunt. Notas quidem, quibus inter sese differunt, cum morbi saepe jungantur, et signa

compluria sibi invicem communia habeant, non parum obscuras esse, confitemur. Si quis vero morbum utrumque attentus considerabit, is signa, quibus distingui possint, saepe non deesse comperietur.

In peripneumonia, pulsus arteriarum saepius celeres, pleni, et molles evadunt. Dolor frequentius degravans et obtusus, non acutus et pungens, sub sterno vel inter scapulas sedet. Facies tumidior et plenior. Decubitus in latus utrumque molestus, in dorsum saepe facilius. Anxietas magna spiritusque difficilis subsunt. In pleuritide, contra, pulsus semper durus. Dolor lateris pungens et acutus tussisque dolentissima aegrotum exercent. Decubitus modo in latus dextrum, modo in sinistrum, minus molestus. De hoc autem alii auctores alia tradunt. Morgagnius in latus affectum decumbere minus doloris facere contendit. Cleghornius vero, Homius, materiae medicae hac in academia Professor illustris, et Cullenus sagacissimus, qui raro falli consuevit, in sententiam omnino contrariam iverunt, et decubitus in latus affectum plerumque magis molestum esse affirmant. Haec signa aliqua ex parte saltem diversa ad peripneumoniam a pleuritide secernendam fortasse sufficient. Diversitas autem

autem eorum a sedibus morborum diversis oriri videtur. In illa, pars pulmonum pulposa et cellulosa laborat, plusque humoris effunditur. In hac, inflammatio pleuram, membranam densissimam, occupat.

Nonnihil similitudinis peripneumoniam inter et asthma interesse videtur. Illam ab hoc vero satis clare distinguit febris antecedens et comitans.

Peripneumonia insuper ab angina inflammationem habente hoc secernitur, quod in illa facilius devoratur, et dolor sedem in pectore profundiorē habet.

S E C T. V.

De Causa proxima.

Cum phaenomena inflammationis pulmonum propria non adeo manifesta intellectuque facilia sint, ut inde causam ejus proximam facile deducere possimus, eam ab analogia inflammationis talium partium, quales sensibus nostris magis obijciuntur, petamus oportet. Si signa vero omnis hoc genus inflammationis diversa attentus examinabis,

nabis, ea a spafmo vaforum extremorum proficisci judicabis. Hoc enim per medicamenta antispafmodica auxiliumve naturae spontaneum sublato, reliqua inflammationis figna brevi decedunt. Quod notioni caufae proximae Gaubianae ex toto refpondet, qui, de hac caufa differens, inquit, ‘Hac pofita, morbus continuo fe manifeftat, hac ablata, tollitur.’ Igitur fpafmus vafculorum extremorum impetum fanguinis adauctum in vafis pulmonum continuum efficiens, pro caufa peripneumoniae proxima habendus. Rem ita fe habere teftari videntur ficcitas cutis, quae plerumque per totum morbi fpatium manere folet, et ipfa curatio, quae antispafmodicis, velut fanguinis detractio, epifpafmicis, et fimilibus, magna ex parte abfolvitur.

S E C T. VI.

De Caufis remotis.

Sub his et ea quae mortales ad morbum proclives efficiunt, et ea quae eundem excitant, comprehendere decrevimus.

I. Ea quae homines morbo opportunos reddunt.

Seminium autem peripneumoniae praecipuum facere videntur plenitudo corporis universi, eaque irritabilitas, quae plenitudinem semper comitatur. Quae vero plenitudinem progignunt, ea subsequuntur, et proclivitatem ad morbum dare merito existimantur.

1. *Certa anni tempora.*—Haec frigidiora sunt, ut hyemale et vernum, quae, frigore tunc invalescente, spiracula cutis magis minusve semper occludunt; et igitur perspirationem, per quam pars ingestorum longe maxima e corpore excernitur, imminuunt. Quam evacuationem parciolem minusve liberalem redditam, nec excretionem alvinae tempestatibus frigidis copiosiores, nec urinae quantitate adaucta pensare valet. Igitur ab hac causa plenitudo oriatur necesse est. Insuper, ver, quo coelum admodum mutabile, et corpus igitur modo frigori modo calori objicitur, ut mortales inflammatione corripere maxime periclitentur facit. Vires enim frigoris constringentes calori praecedenti, qui corpus relaxavit, pro rata ratione semper respondent.

2. *Animi corporisque inertia.*—Cum exercitatio corpus universum firmet, et omnes secretiones

et excretiones adaugeat, haec effectus contrarios edat, totum corpus solvat, tonumque systemati universo convellat necesse est. Quod ut vasa humores, quos vehunt, ad corporis extrema non amplius propellere possint, unde perspiratio minuitur, et ut humores in vasis ipsis praeter consuetudinem relaxatis nimia quantitate accumularentur faciet. Hinc, ingestis excreta excedentibus, corpus justo plenius evadet.

3. *Cibus multum alimenti praebens.*—Sub hoc comprehenduntur omnia, quae pro mole plurimum nutriunt, cibus potissimum animalis, qui vegetabili minus perspirabilis, et, utpote qui multum glutinis contineat, ad crassamentum sanguinis lymphamque coagulabilem augenda plurimum confert; igitur plenitudinem recta facit. Idem praestant liquores spirituosus, praesertim vinum, liberaliter adhibiti.

4. *Evacuationes solitae, sive naturales sive arte factae, imminutae vel suppressae*—Illarum sunt perspiratio, cujus mentio supra injecta, menses aliaeque haemorrhagiae, quae usu inveterarunt, harum profluvia per setacea, fonticulos, &c. facta. Qua ratione hae diminutae vel suppressae plethoram prognerent, non opus est ut exponere

nere

nere aggrediamur. Res enim per se satis manifesta nullius indigit explanationis.

5. *Missiones sanguinis crebrae.*—Paradoxon fortasse videbitur remedium ad plenitudinem imminuendam efficacissimum corpus plenum efficere valere; rem tamen ita se habere, verum nec inexplicabile. Omnis enim sanguinis detractio tensionem systemati sanguifero, et igitur tonum, et actionem ab hoc pendentem, imminuit. Actione autem systematis sanguiferi minus valida reddita, excretiones corporis diversae imminuantur necesse est; hae enim, prout vis a tergo intenditur vel minuitur, magis minusve copiosae erunt. Quo parciores autem excretiones sunt, eo plus humorum, qui debent excerni, in corpore retinebitur, et plenitudinem, brevi periculosam evasuram, pro certo movebit. Ita missiones sanguinis crebras ad plenitudinem faciendam multum conferre manifestum.

Quinetiam aetas sexusque homines peripneumoniae opportuniore efficiunt. Ex aetatibus, juvenilis morbo maxime patet, quia tum tonus et irritabilitas maxima sunt. Cum haec vero in aetate provectioribus, et in illis quibus multum aetatis nondum accessit, desint, senectus et pueritia tutiora sunt. Viri quoque ad morbum, quam

foemi-

foeminae, procliviores sunt, quod habitus magis robustos fibrasque tenfiores habent.

Praeterea, prava thoracis conformatio feminum hujus morbi, nec parvum nec unquam contemnendum, constituit. Si thorax nimis angustus vel distortus fit, minus spatii, quam necessarium, pulmones habeant, coarctentur, et vasa illis aliqua ex parte comprimantur necesse est. Rebus autem ita se habentibus, si aliqua causa impetum humorum pulmones versus nimium faciet, sanguis, cujus motus ibi, quam alibi, semper multo rapidior, quod tota massa sanguinea in systema pulmoneum, cujus spatium multo minus, et in omne reliquum corpus, cujus spatium multo majus, aeque tempore diffunditur, eos, obstaculis supra positis sibi adversantibus, difficillime perfluet; et igitur congestionem in iis, quae inflammationem movebit, facere periclitabitur.

Effectus denique morborum antecedentium proclivitatem ad peripneumoniam dare solent. Hoc duplici modo, vel pulmones nimis relaxando, et congestionibus igitur opportuniores reddendo, vel eosdem infarciendo, spatiumque eorum angustius faciendo, praestant. Illud peripneumoniae priores, catarrhi graviores, variola, rubeola, &c. hoc tumores quilibet duri, et ad naturam

naturam schirri accedentes, velut glandulae lymphaticae tumefactae, et in tubercula, uti appellantur, conversae faciunt. Haec sunt praecipua hujus morbi semina. His percursis, proximum est ut exequamur,

2. Ea quae morbum excitant.

Ea omnia ad stimulantia et spasmum a frigore proficiscentem redeunt. Frigus quidem, unde spasmus oritur, vim plane stimulantem habet, praeter alias ejus potestates. Caeterum, per stimulantia hoc in loco significo ea cibi potionisque genera sola, quae corpori stimulo et irritamento esse consuerunt. Hujus generis sunt caro, praesertim fumo indurata, omnia inde parata, pisces, fructus quidam et radices. Quantum ad potiones attinet, vim stimulatricem habent omnia vini genera et liquores fermentati. Haec autem in superficiem omnium vasorum, praesertim extremorum, ubi inflammatio maxime sedet, interiorem agunt, et ibi tum nervos, tum fibras vasorum musculares, stimulant. Hinc universis vasis tonus, contractilitas viresque contractionum ipsarum et numerus augentur; in quo diathesis inflammatoria plane consistit. Ita haec, quorum mentio modo facta, non tantum humorum abundantiam progenerant, seminiumque morbi ponunt, sed hoc positum et

per se magna ex parte genitum intendunt, et ex aberratione morbosa in justum verumque morbum convertunt. Quin ab his causis, nulla alia corpori noxa admota, inflammatio nonnunquam oriatur, vix ambigi potest. Stimulantibus supra comprehensis addi potest nimia pulmonum ipsorum, ut inter loquendum vel cantandum, exercitatio.

Causa vero peripneumoniae frequentissima esse videtur spasmus vasorum extremorum a frigore proficiscens. Frigus autem ad spasmus hujusmodi inferendum quam optime accommodatur. Si admodum vehemens corpori admoveatur, vim nervosam adeo imminuit et debilitat, ut actio vasorum, ab hac ex toto pendens, cesset, et vita extinguatur. Hoc vi sua sedante facere dicitur. Magis vero corpori modicum applicatum summum tantummodo partibus ejus extremis pallorem infert, molemque totius aliqua ex parte imminuit. Hoc plane praestat vascula sanguifera extrema spasmodice constringendo, et ita cursum humorum, quos vehunt, interiora versus faciendum. Hunc effectum facillime edit, corpore pleno, irritabili, nimisque calefacto. Ita frigus, vi sua adstringente impetum sanguinis pulmones versus faciens, congestionem in illis progignit, unumque

numque morbi dimidium constituit. Hanc autem frigoris actionem adstringentem brevi excipit altera, nempe stimulans. Natura enim, systematis humani salutis consulens, perpetuoque cavens ne aliquid detrimenti capiat, noxae corpori summo admotae occurrendi consilio renifum vasorum sanguiferorum movet; qui renifus aut actio adaucta alterum morbi dimidium facit. Ita frigus potestatibus adstringente et stimulante, quarum haec sapientiae naturae providae legive systematis inexplicabili tribuenda, morbum integrum valet excitare. Hoc forsitan aliquando absque seminio praestat, sed plerumque ei adjunctum. Cum enim seminia admodum intensa et valida morbum vi sua videantur posse movere, quid obstat quo minus causa occasionalis, si modo potens sit, idem possit efficere?

S E C T. VII.

De Signorum Explicatione.

Non omnia signa, quae in historia morbi recensentur, quod facere longius foret, sed ea tantum, quae in definitione comprehenduntur, exponenda suscipiemus.

Pyrexia.—Qua ratione frigus, causa peripneumoniae maxime communis, spasmodum, quem horror sensusque frigoris semper comitantur, vasculis corporis extremis inferat, et quomodo hunc rursus tollendi quasi consilio per potestatem corpori humano salutiferam insitam renisus systematis, vel actio vasorum adaucta moveatur, supra explicavimus. Cum vero in his, spasmo, nempe, et renisu eum subsequente, pyrexia videatur, saltem magna ex parte, consistere, nihil amplius de ea hic addendum ducimus.

Dolor thoracis obtusus.—Hic et quaedam alia quoque hujus morbi signa expositu minime facilia. Modo vero sequente aliqua ex parte forsitan explicari potest. Cum inflammatio membranam firmam occupat, vasa hujus sanguifera per vim sanguinis in ea irruentis non absque summa difficultate tenduntur. Quo difficilius vero vasa tenduntur et dilatantur, eo major semper est dolor. Hanc ob causam, dolor in pleuritide nunquam non pungens et acutus; in peripneumonia, contra, ubi pars pulmonum interior mollis et pulposa laborat, vasa nulla membrana firma sustentata impetui sanguinis facilius cedunt, et dolor obtusus, non acutus est.

Idem

Idem ad pulsus arteriarum saepius molles exponendos nonnihil facere videtur. Quo aegrius enim vasa partis inflammatione laborantis tenduntur, eo major irritatio oritur, et validiores et duriores totius systematis arteriosi contractiones evadunt. Contra, vasis se dilatari facilius patientibus, ictus arteriarum molliores sint oportet. Si vero pulsus arteriarum sub initium duri et validi sunt, et, morbo proVectiore, debiles et molles fiunt, hoc sanguini serove, aut utrique, in telam cellulofam effuso, arteriae pulmoneae ramos comprimenti, et ita sanguinem, per pulmones fluentem, tardius ad auriculam cordis finistram pervenire finenti, vel vasis potius per effusionem congestione liberatis, et igitur magis naturaliter molliusque micantibus, tribuendum.

Respiratio perpetuo difficilis.—Haec difficili sanguinis per pulmones transitui plane debetur; nam vesiculae aërierae, a vasis sanguiferis turgidis et distentis compressae, idoneam aëris quantitatem nequeunt recipere. Insuper, aegrotus dilatationem thoracis plenam vascula inflammata comprimendo, dolorem inferre comperiens, minus libere inspirat, quod spiritum difficiliorem, quam alioquin foret, efficit. Difficilis quoque spiritus pulmonibus

pulmonibus ipsis, ob impedimenta obstantia, difficulter explicatis, aliqua ex parte referendus.

Faciei tumidae color purpureus.—Ob summam congestionem in pulmonibus factam, reditumque sanguinis liberum a capite impredientem, quantitas sanguinis praeter consuetudinem magna in vasis capitis, et faciei accumulatur, quod et ut facies tumeat, et colore purpureo tingatur, facit.

Tussis plerumque humida, saepe cruenta.—Tussim movent omnia irritamenta pulmonibus ipsis vel asperae arteriae applicata. Irritationem autem in peripneumonia diversa dant, velut sanguis in vasis pulmoneis accumulatus, humor in bronchia nimis liberaliter exhalans, sanguis serumve in haec telamve cellulosa effusum, &c. Tussis his causis et similibus levitate vel gravitate prorata ratione respondebit. Si ficca est sub initium morbi, constrictioni spasmodicae validae arteriolas exhalantes glandulasve mucosas tenenti, et halitum mucumve in bronchia exire impidenti; si finem morbi versus, quantitati majori in bronchia effusae, quam quae per potestates exspuendi ejici possit, tribuenda. Si humida, qualis fere sub initium est, hoc a constrictione vasorum exhalantium supra comprehensorum spasmodica mi-

nore, aut impetu, quo humores in ea impelluntur, majore proficiscitur. Si cruenta est, hoc incidit, quod distensio vel vascula rupit, vel extrema ita laxavit, ut globuli rubri finibus earum possint elabi.

S E C T. VIII.

De Eventu.

Finem hujus morbi faustum fore promittunt omnia spasmi soluti signa, qualia sunt sputum crassum, albidum, subflavum, aliquantulum sanguine tinctum; copiosum, absque multa gravitate tussi ejectum; sudor calidus, fluidus, copiosus, universus; pulsu minus frequente, et calore corporeo aliisque signis febrilibus imminutis stipatus; haemorrhagia narium primis morbi diebus incidens. Idem significare dicuntur, sanguis e venis haemorrhoidalibus profusus, excretiones alvinæ biliosæ, urina liberaliter excreta, et sedimentum copiosum deponens. Pyrexia, contra, violenta semper periculosa. Quinetiam periculum subesse indicat spiritus difficilis, præsertim cum in alterum latus tantum, cum in neutrum,

sed

sed in dorsum solum decumbere potest aegrotus ; cum, nisi trunco corporis erecto, nulla cum facilitate spirat ; cum etiam in hac positura respiratio admodum difficilis est, et tumore faciei et rubore, sudoribus circa caput et cervicem topicis, et pulsu abnormi stipatur. Ut tussis frequens, violenta, dolorem adaugens semper morbum gravem significat ; ita sicca non bona. Dolor acutus respirationem multum impediens, perpetuo signum est morbi gravis, sed non gravioris, quam obtusus spiritu difficili stipatus. Cum dolores, qui unum latus sub initium tantum invaserant, semet postea in alterum quoque diffundunt, vel cum latus prius affectum relinquunt, et ad alterum ex toto transeunt, pro signo morbi periculosi semper habendi. Delirium peripneumoniae adjunctum aegrotum in summo periculo versari testatur.

Cum morbus gravis est, sed tamen solvi potest, solutio intra spatium primae hebdomadis saepius incidit, sed, morbo leviore, in secundam differtur. Morbus diem tertium inter et septimum plerumque remittit ; quod tamen saepe fallax, cum nonnunquam gravitate priore, et in exemplo hujusmodi majore periculo repetat. Altero tertiove die aliquando

quando decedit, dum erysipelas in aliqua parte externa se ostendit. Si hoc in sede externa fixum manet, peripneumonia non amplius redit. Si morbus ultra diem decimum quartum perstat, suppuratione plerumque, et haec phthisi, de qua nihil hic dicere licet, finitur. Finis hujus morbi rarissimus est gangraena, quae, cum accedit, semet effusioni supra positaе adjungere solet, adeo ut signa finis unius ab alterius propriis vix possint secerni.

S E C T. IX.

De Ratione Medendi.

Consilia autem medendi sunt:

- I. Irritationem tollere.
- II. Impetum humorum adauctum, et in toto corpore et in parte laborante, imminuere.
- III. Sputum promovere.

Consilio primo respondent sequentia:

1. *Regimen antiphlogisticum striete adhibitum.*—
Hoc in stimulis omnigenis vitandis consistit. I-

E

gitur

gitur omnia quae aegrotanti terrorem possunt incutere, aut animum ejus ullo modo nimis commovere, diligenter cauteque fugienda. Alimento stimulante abstineatur, potissimum carne et ex ea paratis. In quorum locum sufficiantur farinea diluta. Siti diluentibus non frigidis, sed tepidis, occurratur. Lux nimia, utpote quae non parum stimulet, vitetur. Calor quoque justo major arcendus. Itaque aegrotus in cubiculo, cujus calor gradum thermometri Fahrenheitiani sexagesimum non superat, habendus. Alvus dura, quae summo stimulo est, solvenda. Communis humorum acrimonia dilutione vitanda aut corrigenda.

2. *Refrigerantia quaedam.*—Horum praecipua sunt acida omnia satis diluta, et sales medii. Illorum optima, quaeque saepissime adhibentur, sunt vitriolicum et vegetabile. Hoc illi praestat, quod magis liberaliter sumi potest, alvumque efficacius solvit. E salibus mediis nitrum potissimum adhibetur. Nauseam, quam aliquando facit, movere minus periclitabitur, si potioni non adjungitur, sed per se sumatur. Tussim nonnullis excitant et acida et nitrum. Quod, cum non faciunt, utilissima sunt.

3. *Opium*.—Nobis forsan vitio vertetur, quod hoc remedium hic collocavimus. Ubi vero collocetur parum refert, si modo memoria teneatur ad id, nisi phlogosi per remedia sua magna ex parte sublata, nunquam confugi debere. Cum vero tussis, reliquis signis levatis, urgere pergit, somnumque impedit, opium somnum revocando, motusque abnormes compefcendo, plurimum prodest. Nec sputum, ut nonnulli sunt opinati, supprimit. Tantum enim, ut hoc faciat, abest, ut contra promoveat copiosiusque efficiat. Ita opium ad irritationem tollendam plurimum confert, et hoc in loco, non absque causa, memoratur.

Alteri accommodantur :

1. *Sanguinis missio*.—Hac nihil ad tonum systematis arteriosi, qui jam nimius magnamque morbi partem constituit, imminuendum efficacius. Id adeo nonnunquam relaxat, ut effectus suos ad corporis superficiem usque diffundat, et vasa extrema, quo constringuntur spafmo liberet, ut sudor eam subsequens plane testatur. Brachio lateris affecti, si cum aegrotantis et chirurgi comodo fieri potest, sanguis detrahatur. Si non, ex utro emitti potest. Quantitas gravitati mor-

bi viribusque aegroti accommodanda, et plerumque tam larga, quam hae patientur, esse debet. Remissio doloris spiritusque levatus, sanguine profluente, copiae eo tempore detrahendae limites ponere possunt. Si vero haec signa non se ostendant, in detractioe, donec notae syncopes incipientis accedant, perstandum. Una emissio, utcunque fuerit ampla, morbum raro tollit, et dolor difficultasque spirandi, licet prima detractioe multum leventur, plerumque, et non longo ex intervallo, repetunt, aequae ac antea graviae. Si res ita se habent, sanguis rursus, etiam eodem die, et forsitan aequae ac antea copiose, mittendus. Altera detractio priore nonnunquam largior esse potest. Nonnulli enim sunt, qui, sanguine modice detracto, animo linq̄ui consueverunt; quod tantum sanguinis, quantum inflammatio pneumonica postulat, emitti prohibet. Caeterum iidem nonnunquam detractioes subsequentes aequae largas, ac signa morbi exigunt, melius ferre reperiuntur. Missio sanguinis pro statu signorum solo reiteranda. Quod sanguinis primis tribus diebus detrahatur, quam quod postea, magis prodest. Quatuor morbi diebus elapsis, detrahi debet. Immo, signis graviter urgentibus, quolibet tempore, praesertim intra qua-

quatuordecim ab initio dies, et etiam postea, si morbus ad suppurationem non evidenter vergat, vel, quantum potuit judicari, solutus rursus redierit, eliciatur necesse est. Quantum sanguinis quantitatem, quae tuto potest emitti, spectat, nihil pro certo affirmari potest. Pro conditione morbi habituque aegrotantis admodum variet oportet. In adulto, cui vires sunt mediocres, libra sanguinis detractio plena est. Quaelibet quantitas supra viginti uncias larga, quaelibet infra duodecim modica. Quatuor aut quinque librae spatio duorum triumve dierum detractae plerumque tantum est, quantum aegroti supra comprehenso similes tuto ferent. Si vero intervalla detractionum, et totum tempus, per quod hae fuerint adhibitae, fuerint longa, quantitas emissa in summa major esse potest.

Cum tantum sanguinis, quantum tuto emitti posse videtur, brachio fuit detractum, aliquando plus per cucurbitulas cruentes et scarificationem elicere valebis. Hoc autem conveniet, si dolor potius, quam difficultas spirandi, manet aut repetit, et potissimum urget. Sanguis quam proximam partem laborantem semper mittatur. Sputum nonnunquam, morbo non longe provento,

se

se ostendit. Si vero nihilominus signa urgere pergant, missio sanguinis minime omittenda. Curatio morbi primos per dies non sputo, utcunque fuerit liberum et copiosum, concedenda. Tantum, morbo longe progresso, et signis magna ex parte levatis, expectorationi copiosae et liberae ex toto relinquenda. Primos per dies morbi sputum non supprimit sanguinis detractio, id, contra, saepe promovet. Illud tantum praestari videtur, viribus aegroti per largas evacuationes et morbi longitudinem convulsis. Hoc etiam, iudicio nostro, facit non tam vires expuendi debilitando, quam effusioni in bronchia ferofae favendo.

2. *Alvi purgatio.*—Utrum purgantia hoc in morbo tuto necne possint adhiberi, medici nonnulli dubitarunt. Diarrhoea quidem sub initium morbi accedens raro prodest. Caeterum, laxantia refrigerantia modice adhibita plerumque tuta, et alvum per enemata emollientia solutam tenere semper utile.

3. *Emetica.*—Vomitionem per haec, quod partes laborantes concutit et irritat, movere periculosum esse ducimus. Caeterum, portiunculae emeticorum nauseam moventes prodesse repertae.

4. *Fomenta et Cataplasmata.*—Ut haec parti laboranti admoveantur nonnulli suadent. Prodesse possunt; sed tamen, ob multas rationes, cum remedio sequente haudquaquam comparanda.

5. *Epispastica.*—Morbo recentissimo, epispasticum quam proxime partem laborantem debet applicari. Cum vero, hoc irritante, detractio sanguinis minus sit efficax, non ante sanguinem semel emissum admovendum. Si morbus minus gravis sit, epispasticum post primam sanguinis detractionem applicari potest. Si, contra, morbus violentus sit, et altera sanguinis detractio brevi necessaria futura esse videatur, epispastico, donec sanguis bis fuerit emissus, abstinere conveniet. Si hoc feceris, alia sanguinis detractio vix erit necessaria, donec irritatio epispastici cessaverit. Ad epispastica hoc in morbo saepe confugas aliquando necesse est. Rebus ita se habentibus, alicui thoracis parti semper admovenda; partibus enim magis distantibus applicata parum profunt.

6. *Sudatio.*—Quanquam sudor sponte prorumpens morbum saepe solvit; arte tamen, nisi admodum caute, non excitandus. Cum, signis aliquantum levatis, sponte oritur sudor idoneus promovendus, sed absque multo calore et absque
medicamentis

medicamentis stimulantibus. Si vero loco proprius et viscidus fit, et magna spirandi difficultas adhuc maneat, non absque summo periculo promovebitur.

Tertio conveniunt, alkali volatile, morbo pro-
vecto, datum, demulcentia mucilaginoso et oleo-
sa; vapores calidi aceto imbuti in pulmones
inspirando recepti, et, quae reliquis potentiora et
efficaciora, ex antimonio praeparata, dosibus ad
nauseam movendam accommodatis, assumpta.

F I N I S.











